

mendanda est praesertim iis qui, spiritualis secessus vel missionis exercitiis, ad eam magno fervore et cura instituendam parati sunt : nam, si perfunctorie obitur, vix ullum commodum affert.

Communiter autem haec utilitas ab AA. ita explicatur ut, semel facta, saltem in matura aetate, generali vitae totius confessione, non expediat plerumque eam iterare. Attamen in argumento quod totum meri consilii est, regula absoluta dari nequit. Quare, si poenitens ad scrupulos nullatenus propensus et altioris perfectionis studiosus eam iterare vellet, posset prudens confessarius ipsius votis obsecundare. Omnibus vero qui tranquilla sunt conscientia expedit identidem facere generalem confessionem ab ultima quam peregerint incipiendam, praesertim ubi novum statum, puta sacerdotalem vel religiosum, praemissa speciali praeparatione, aggressuri sunt.

**310. III.** In suadenda vel permittenda generali confessione juvat prae oculis habere sequentia monita :

1° Cavere debent confessarii ne poenitentibus obtrudant confessionem generalem, quando non est manifeste necessaria : nam, nisi libenter instituat, vix prodesse potest. Prorsus autem carpenti sunt qui eam postulant a quolibet novo poenitente suo : quasi ad eum rite dirigendum necessarium foret peccata jam prorsus extirpata cognoscere, neque sufficiens notitia e confessionibus mox instituendis hauriri posset.

2° Si poenitens manifestat generalis confessionis instituendae desiderium vel anxietatem circa praeteritas confessiones, cavere debet confessarius a duobus excessibus extreme oppositis. Alter in eo foret ut statim poenitenti os clauderet, quasi de mero scrupulo ageretur : nam, nisi poenitens reapse ut scrupulosus notus foret, confessarius incurreret periculum impediendi manifestationem hujus animae saluti necessariam, siquidem non ita raro occurrunt sacrilegarum confessionum rei. (n. 305. nota) In alterum excessum caderet confessarius qui statim poenitentem ignotum ad confessionem generalem admitteret vel incitaret : nam forsitan labor ille plane otiosus vel etiam noxius erit. Praestabit ergo ab ignoto poenitente inquirere num jam antea confessionem generalem instituerit vel idem ab ordinario confessario suo petierit. Si, responso accepto, dubia manet generalis confessionis necessitas vel utilitas, plerumque juvabit eam differre donec poenitens novo confessario melius sit perspectus.

3° Tempore missionis potest utiliter suaderi ut confessio generalis ab omnibus qui scrupulosi non sunt instituat, quemadmodum Bened. XIV (Const. cit.) jussit facere missionarios qui populum ad lucrandum jubilaum anni 1750 paraturi erant. Sedulo tamen cavendum ne hujusmodi praxis tamquam communiter necessaria proponatur, praesertim iis qui

jam alias generaliter confessi sint : sic enim in animabus piorum fidelium magna excitaretur anxietas, quam confessarii multis conatibus vix aut ne vix quidem sedarent.

**IV.** De ratione excipiendi generales confessiones liberas adverte :

1° Confessarius poenitentem minus doctum moneat nullam strictam obligationem esse ut omnia et singula peccata jam rite confessa repetat, neque ullam anxietatem concipiendam esse si quod hujusmodi peccatum oblitus fuerit vel sponte tacuerit.

2° Sinat poenitentem dicere ea quae novit et vult accusare. Nisi is sponte petat ut interrogetur, juvat ab interrogationibus abstinere, praesertim circa peccata magis pudenda : nam, cum poenitens ista reticere possit et forte malit, non est cur inutiliter et saepe cum poenitentis incommodo extorqueantur.

3° Multi qui confessionis generalis instituendae copiam petunt (puta matrimonium initari), id tantum intendunt ut praecipua quaedam peccata e vita sua praeterita iterare possint : qui prorsus inviti essent, si confessarius interrogando veram confessionem generalem eis extorquere conaretur. Ex altera vero parte cavendum est ne quidam impediatur a confessione sua integre peragenda prout eam paraverint : quod potius ad turbandam quam ad sedandam ipsorum conscientiam conducere. In hoc casu verum est quod monet Lehmkuhl (II. n. 346) : praestare ut confessarius non admittat confessionem generalem, cui excipiendae debitum tempus impendere nequeat aut nolit.

### CAPUT III.

#### DE SATISFACTIONE.

##### § I. OFFICIUM ET POTESTAS CONFESSARII CIRCA SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM.

**311. I.** Confessarius regulariter **aliquam poenitentiam** imponere debet, qua satisfiat debito poenae quae saepe, remissa culpa, remanet luenda. Nempe satisfactio tertius est ex actibus poenitentis, qui a Trid. (Sess. 14. c. 3) dicuntur *quasi materia* hujus sacramenti, " quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam pec-



catorum remissionem ex Dei institutione, requiruntur. „ Peccaret ergo per se graviter sacerdos qui sacramentum quod ministret privaret, absque causa excusante, parte ad ejus integritatem requisita. Attamen probabilius leviter tantum delinqueret qui nullam imposeret poenitentiam pro peccatis venialibus, vel pro mortalibus jam alias confessis. (Lugo, disp. 25. n. 49 seqq.) Is enim sacramentum privaret tantum complemento levis momenti, perinde ac iudex qui indebite remitteret reo poenam exiguam. Insuper non est major obligatio in confessario ad imponendam poenitentiam, quam in poenitente ad eam implendam : quare, si iste leviter tantum peccat omittendo exiguam poenitentiam et ita privando sacramentum parte sua integrante, idem consequenter de sacerdote tenendum est. Dicitur *regulariter* ; nam :

1° Ab omni poenitentia imponenda excusatur in casu quo poenitens etiam levissimae satisfactioni praestandae impar est, ex. gr. moribundus sensibus destitutus vel mente captus. Extra hunc casum nullus est qui recuset levissimam poenitentiam, qualis esset osculari imaginem Crucifixi, proferre orationem jaculatoriam cum confessario, etc. Ideo raro datur causa ab omni poenitentia imponenda excusans.

2° Probabile est non teneri confessarium ad novam poenitentiam imponendam ei qui statim post absolutionem accuset peccatum ex oblivione praetermissum. Contrarium tenet S. Alph. (n. 515): quia nequit imponi in poenitentiam opus jam debitum ex eodem titulo satisfactionis sacramentalis. Sed nihil obstat quominus, e voluntate saltem implicita confessarii, eadem satisfactio sit pars integralis utriusque sacramenti. (Struggl, tr. 11. q. 2. n. 46, etc.) Recte advertit Ball. P. (n. 494), ita aequivalenter idem fieri ac si confessarius mutet poenitentiam (quod utique potest), detrahendo quidpiam praecedenti ut extendatur ad novum peccatum.

Cum ordine iudicii magis congruit ut poenitentia imponatur antequam absolutio detur : decet enim ut poenitens significet se in illam satisfactionem consentire, antequam absolutionis beneficio donetur. Nihilominus nulla culpa apparet si ordo inversus servetur (Suar. disp. 38. sect. 3; Sporer, Theol. Sacr. de Poenit. n. 576), praesertim si poenitens (ut fere contingit) praesumi potest poenitentiae consensurus esse.

**312. II. Poenitentia imponenda debet aliqua ratione esse proportionata gravitati peccatorum et poenitentis facultati.** Id enim postulat finis quem Christus prae oculis habuit, dum voluit injungi hanc satisfactionem sacramentalem, vid. ut per eam poenitens satisfaceret justitiae divinae et se a poena remanente liberaret. Rem clare proponit Trid. (Sess. 14. c. 8) : “ Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggererit, pro qualitate criminum et

poenitentium facultate, salutes et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. „

Proportio tamen ista non debet esse perfecta, seu talis ut imponatur ea poenitentia quae sufficiat ad obtinendam a Deo *integram* remissionem poenae quae luenda supersit : nam qualis haec sit, nos prorsus latet. Neque hodie ab Ecclesia determinata est poenarum taxa. De ea enim quae per antiquos Canones Poenitentiales (1) proponebatur, merito dubitatur utrum pro foro tantum externo an etiam pro interno valuerit ; eadem certo in desuetudinem abiit. Relinquitur ergo mensura poenitentiae arbitrio et prudentiae confessarii. Censent tamen communiter AA. pro peccato mortali, nisi detur causa excusans, imponendam esse poenitentiam quae in praesenti Ecclesiae disciplina spectetur ut *gravis*. Talia censentur omnia bona opera quae sub gravi implenda sunt quando ab Ecclesia praecipiuntur, ut jejunium, auditio Missae ; vel eis moraliter aequivalent, qualis esset recitatio Rosarii B. M. V. (quinque etiam decadam), vel parvi Officii ejusdem B. M. V. ; minime vero recitatio Psalmi *Miserere*, quinque Pater et Ave, Litaniarum Lauretanarum, etc. (S. Alph. n. 516) Quando multiplicantur peccata mortalia, sicut non semper sufficit imponere aliquam hujusmodi poenitentiam gravem, ita nulla datur obligatio poenitentias pro peccatis multiplicandi, puta imponendo decem Rosaria pro decem peccatis mortalibus.

Obligatio imponendi poenitentiam peccatis proportionatam ea ratione quae modo explicata est, per se gravis est, ut liquet e verbis Trid. supra citatis. Attamen probabile est iisdemque verbis conformius non peccare graviter, nisi qui plane *levissimas* pro *gravissimis* injunxerit. (D'Annib. III. n. 347)

**313. III. Causae minuendi poenitentiam sunt praesertim sequentes :**

1° *Infirmitas corporis*. Monet quidem Rit. Rom. (tit. III. c. 1. n. 25) “ aegris esse indicendam tantum illam (poenitentiam) quam, si convalescerint, opportuno tempore peragant. „ Sed si nulla adest spes fundata aegrotum vires suas recuperaturum esse, vel timetur ne gravior poeni-

(1) Hos Canones videsis ad calcem Decreti Gratiani.



tentia in futurum ejus bonis dispositionibus noceat, sacerdos facillima poenitentia praesenti contentus sit.

2<sup>o</sup> *Infirmetas spiritualis*, ex qua fiat ut gravior poenitentia potius nocitura sit quam profutura animae poenitentis, sive quia eam non implebit, sive quia propterea rarius ad sacramenta accedet. Ipsum enim Rit. Rom. (n. 18) monet in hac re habendam esse rationem dispositionis poenitentis. Ut autem notat Baller. (in Gury, II. n. 524): "Constans omnium temporum experientia plane effecit ut cujusvis aetatis ac scholae doctores mira concordia in hanc sententiam convenirent." (1)

Ut autem gravior poenitentia absque periculo scandali imponatur, alii alia media indicant, nempe:

a) Ut imponatur oratio (praesertim Rosarium) quam sub Sacro cui mox interesse debent poenitentes recitare queant.

b) Ut cum levissima poenitentia imponatur opus quod jam ex obligatione alius legis peragere debeant, ex. gr. assistentiam Sacro die Dominica: nam nihil obstat quominus opus praeceptum ad meritum satisfactionis sacramentalis elevetur et ob duplicem titulum obliget. (S. Alph. n. 513) A fortiori idem dicendum de opere supererogatorio quod poenitens ex adjunctis praevidetur peracturus, qualis esset pro alumnis assistentia Sacro infra hebdomadam vel communio libera.

c) Ut optio detur inter opus gravius vel levius. Nam "sicut potest sacerdos injungere satisfactionem poenitenti ex arbitrio alieno, ita et ex arbitrio ipsius poenitentis, sicut si dicas: fac hoc si potes, et, si non potes, facias hoc." (S. Th. Quodlib. 3. a. 18)

3<sup>o</sup> *Magna poenitentis contritio*: nam quo intensior haec erit, tanto minor poena luenda remanebit. Verum aegre haec intensitas innotescit confessario.

4<sup>o</sup> *Tempus jubilaei vel indulgentiae plenariae*: per hanc enim aequivalenter obtinetur finis satisfactionis sacramentalis. Hinc multi veteres

(1) Sic S. Thomas (Quodl. 3. q. 13. a. 28): "Videtur autem satis conveniens quod sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis; quia, sicut parvus ignis a multis lignis suppositis de facili exstinguitur, ita posset contingere quod parvus effectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis exstingueretur, peccatore totaliter desperante." — S. Antoninus (3. p. tit. 16. c. 20): "Si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittit ad purgatorium." — Lugo (disp. 25. n. 60): "Primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem poenitentis, ne scilicet laquei ipsi injiciantur ut nova peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxis, qua leves poenitentiae imponuntur pro gravissimis peccatis: id enim saepe fit propter spiritualem infirmitatem poenitentium, qui gravioribus poenitentibus scandalizabuntur, et vel confessionem fugient vel certe confessarios ineptos adibunt qui eos curare nesciant." — Alia testimonia videsis ap. S. Alph. n. 509.

Theol. docebant nullam poenitentiam injungendam esse ei qui plenariam indulgentiam lucraturus esset. Id tamen hodie rejiciendum est, siquidem ipsi RR. PP. Bened. XIV (Const. *Inter praeteritos*) et Leo XII (Const. *Caritate Christi*) monent aliquam poenitentiam etiam jubilaum lucraturis imponendam esse, ac propterea censendi sunt e plena remissione quam concedunt excepisse satisfactionem quae poenitentiae illi sacramentali respondeat. Potest nihilominus minui poenitentia iis qui probabiliter indulgentiam plenariam lucraturi sunt. (S. Alph. n. 519; Ball. P. n. 481) Hinc intellegitur quomodo nostris diebus, quibus tam facile est indulgentias plenarias lucrari, haec ratio esse possit ob quam leviores poenitentiae imponantur, praesertim a confessariis qui hortantur suos poenitentes ut hac ratione suppleant quod nimis exiguae satisfactioni sacramentali defuturum sit.

5<sup>o</sup> *Satisfactio quam ipse confessarius pro poenitente praestare intendat*: nam unum pro altero, positis debitis condicionibus, satisfacere posse, clare e communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, deducitur. (Lugo, disp. 26. n. 1 seqq.)

Quidam AA. ut Diana (tom. 2. tr. 4. de Sac. res. 97), his causis excusantibus adnumerant usum formulae: *Passio D. N. J. C.* etc. (n. 265), eo quod per haec verba sacerdotis omnia opera bona poenitentis eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis, ac proinde compensatur id quod de poenitentia imponenda detrahitur. Sed communiter id rejicitur. Nam imprimis satis dubia est illa efficacia quae his verbis adscribitur. Juxta S. Alph. (n. 507), sententia longe probabilior et communior est, his verbis inesse hujusmodi efficaciam, eamque videtur tenere S. Th. (Quodlib. 3. a. 28) Multi tamen alii, ut Lugo (disp. 25. n. 56), Bus. (ap. S. Alph. l. c.) etc., id negant, utpote incredibile vel absurdum. Hi existimant iis verbis contineri tantum deprecationem quae a sacerdote, nomine Ecclesiae, proferatur, perinde ac ceterae preces absolutioni praeviae, nec majorem efficaciam habeat quam cetera sacramentalia. (n. 107) Cui opinioni videntur consona quae dicit Bened. XIV (Const. *Apostolica*) de iis qui, absolutione recepta, nulla aut fere nulla bona opera eliciunt: "Ex quo fit ut uberiori fructu fraudentur, quem *Ecclesiae preces*, sacerdotis ore in poenitentes prolatae, a Deo postulant his verbis: *ut quidquid boni feceris*, etc." Quidquid autem teneamus de hujus formulae efficacia, nihil inde erui posse ad poenitentiam levem pro gravibus culpis imponendam, patet e Trid. (Sess. 14. c. 8) quod, licet nosset hanc formulam a confessariis adhiberi et a multis DD. illa efficacia donari, nihilominus gravibus verbis (citatis n. 312) sacerdotes a nimia indulgentia in imponendis poenitentiis deterruit.

314. IV. Omnia opera bona, per se loquendo, in poenitentiam imponi possunt, quaecumque sint, sive *jejunium* seu opera poeni-